

tionem, humanam perducit naturam. Sacerdotibus enim est dictum: "Ego dixi, dii estis."

Ad praeclarissimam hanc et inefabilem dignitatem, noster vigilans Pastor, et amantissimus Pater, fuit evectus, et in ipsam providenter fuit etiam constitutus.

Multum ille de capessendo cogitaverat statu; et etsi morum quam omnes noverant gravitas, ingenium ad quaevis sancta tractanda et justa, in quavis actioni relucens, ad Sacerdotium esse vocatum, omnes asseveraverint, ille in tanti momenti negotio, maturé voluit perpendere, ac die noctuque versari, dum divinam quam postulabat novit voluntatem. Nec aliter esse potuit; cum magna caritas, probata fides et spes firmissima in illo relucerent. Sed caritas illa, quam Apostolus describit; benignam, prudentem, sobriam, quae non quaerit quae sua sunt, sed quae Jesu-Christi. ¿Quandonam enim pauper, suis miseris, cor illud reperit clausum? ¿Quandonam maximam illam miseriam, qua homines in peccatis detinentur, suis curis vigiliisque vacare vidimus? ¿Quandonam vulnera illa cernens, quibus homines Dei inimici constituuntur, amaré non flevit, et reconciliationis purissimum oleum effundere protinus non tentavit? ¿Quoties, enim nos ipsi vidimus, fidelium fletibus, suas miscere lacrymas! ¿Quoties illas largiter effudit, corda illa durissima palpans, quae nec compunctione molliuntur, nec precibus moventur, nec minis ipsis cedunt! ¿Sed quo vado? Vos testes appello qui pluries in hac ipsa cathedra, illum errores insectantem, et vitia objurgantem vidistis. Ad memoriam vestram quaeso, ut illud nocturnum latrocinium et nefandum veniat, quo omnes fuimus contristati: de sacrilegio illo loquor, ac memorabili semper, quo, de Sanctua-

rio ipso, Sanctus Sanctorum ablatum, et res sacras, perversissimi homines, suis sacrilegis manibus, deportavere. Tunc illum exclamare audivimus, et cum Magdalena dicere: "Si vos scitis, dicite mihi locum ubi posuerunt Dominum meum." En fides et caritas simul in tanto ac venerando Sacramento! Virtutes quas ab ineunte sua aetate coluerat, et quas usque ad suam laudabilem senectutem assidue coluit, ac magno semper existimavit praetio.

In Sacerdotio autem propitium invenit tempus, ut non sui tantum, sed fidelibus cunctis fuerint illae desideratae.

Hinc, ut in tribus, quas regendas, Paroecis, successive fuerunt creditas, tot ejus fuerint caritatis monumenta, quot fuerunt etiam ejus vigiliis comissi fideles, qui omnes, in posterum, bonam de suo Parocho relinquerunt notitiam, bonamque famam suis posteris tradiderunt.

De ejus in caeteris agendi ratione, si dicere velim, et super omnia, de ejus in rebus difficillimis dexteritate, meum tempus, ac vestram attentionem tereret, et ad suam excelsam in Sacerdotio dignitatem, mea non festinaret oratio.

Satis nunc si dicamus; quod Superiorum plausu, magnoque fidelium proventu, ovile comissum gubernavit et pasciit.

Dignissimus, igitur, in magnis ac difficillimis negotiis fuit inventus, et dignissimus quoque, ut ad Ecclesiae Cathedralis Capitulum, fuerit vocatus, et inter ejusdem capitulares, omnium gratulatione, fuerit numeratus. Pauper de Seminario ad Paroeciam venit, et pauper etiam, non obstantibus ditissimis, quas tunc parochi pollebant commodis, ad pre-

bendam redidit pauperrimus, suis ovibus antea, magna quae lucraverat, distribuens emolumenta.

Vir ille doctissimus Joannes de Portugal, et notissimus etiam, qui tunc, ad Mechoachanensem regendam Ecclesiam, fuerat providenter constitutus, virtutes omnes, quibus Antonius divinitus erat praeditus, noverat accurate, et dotes etiam, quae ad illam, tunc bastissimam ditionem regendam, fuerint desideratae, in illo etiam repertae fuere, ut non in Capitulo tantum, ut Episcopi Consultor, existeret, sed ipsum Dioecesis perfidicile gubernium committeretur, quasi honorificum, quo ad excelsam hanc et praeclaram episcopalem dignitatem, in posterum evectum iri, commostraretur praeludium.

Ex tunc jam, quod postea in Episcopatum zelum commostrarit, omnium gratulatione, coepit Dioecesim illam invigilare.

Dies illae felicissimae, etsi aliquantisper ejus perturbata felicitas, velut umbra transierunt; postea autem, amarissima veniunt probationis momenta, in quibus probata fides, animique robor nostri sacerdotis enituit, dum ad veritatis defensionem, errores insectantium autoritatem, fortiore animo restitit, et pro Ecclesiae jura tuendi, ac custodiendi munere, in exilium, tot illorum rabies effrenatorum hominum passus, submisit pergit.

Nihil de illa qua tunc polebat valetudine dicam, quae vix illi de lecto surgere sinebat, ut improbum illum et incommodum sustentaret laborem. Nihil etiam de ipsius aetate loquar, quae ad senectutem attingere videretur, ut suis jam defessis viribus, iter illud faceret quaestosum.

Et in exilio tamen tendere visum, nihil aliud

nisi patientissimi Job eslatam proferens: "Sit nomen Domini benedictum."

Quod in eo fuerit ille perpessus tempus non est enarrare; ad finem enim jam hujus orationis attingimus.

Præclarissimarum illarum virtutum nitor, et splendor optimus, in Vaticana tandem refulsit, et Pontifex Noster Maximus, bene de his informatus, Antonium, primum, in partibus Drusiparæ Episcopum creavit, et Mechoacanensis simul Archiepiscopi coadjutorem. Humillime vero Antonius de se ipso sentiebat, ut non sine magna animi conturbatione, hoc perillustre illi contigisse credat: primum itaque quod sua mente revolvit, jacere fuit, ad pedes S. S. Patris, provolutus, suam propriam indignitatem, suamque, ut ille inquebat, magna animi sinceritate, debilitatem, ad hoc suis humeris onus recipiendum.

Dominus autem, qui sustinet omnia fortiter et disponit omnia suaviter, omnia quoque conciliat et ad finem perducit intentum.

Hinc, ut Electus de altissimi honoris cogitaret demissione, eo ipso tempore, quo ad aures Petri, Mexicanorum et illustrissimorum Antistitum, vox illa perveniebat, de infelicissimo Ecclesiarum statu accurate informantis, ut pervigiles milites in hac ditione augerentur, qui adversus impietatem strenue decertarent, catholicam propugnantes doctrinam.

Ex tunc, Dioecesis hæc nostra nomen suum meruit audire, et hæc Zamorensis civitas, relicta cæteris oppidis, Prus IX. Pontifex Maximus illam ad civitatis Episcopalis fastigium evehexit et attulit, ut honoribus cunctis, gratiis privilegiisque quibus cæteræ episcopales civitates in hac nostra Republica gaudebant et ipsa quoque gauderet. Et hæc ipsa Ecclesia, quæ fidelium

pietas, in paroeciam destinaverat, incipit tunc etiam sedem habere splendidam, et episcopalem Cathedram privilegiis eunctis pollentem, quibus mexicanæ cæteræ cathedrales Ecclesiæ ab antiquitate pollebant.

Et ex tunc etiam, I. D. D. Antonius de la Peña y Navarro, primus hujus novæ sponsæ fidelissimus quoque sponsus fuit à Deo per Pontificis Maximi memoriam electus.

¡O tempora illa felicissima ac nostri beatissima valde quibus ad nos usque tantorum bonorum pervenit felicitas! ¡O vox illa dulcis quæ auribus nostris adhuc gratulata perdurat, cum Pontifex noster ac dilectissimus Pius magnalia fecit nobiscum, et ad hanc novam informandam Ecclesiam virum probum, justum et sanctum elegit!

Venit dies tandem A. A. et electus episcopus ad sacerdotii plenitudinem quoque venit. Nos autem intenti nullam requiem et levamen nullum habebamus, nisi in medio nostri, nostrum videremus Pastorem; mors vero crudelissima ab initio cor nostrum vulneravit; ex nostris enim tentavit auferre pastorem. Hæc cum nos audivimus, pertinuimus valde, et elanguit cor nostrum, nec remansit nobis spiritus ad nostrum videndum Antistitem. Dominus autem, videns afflictionem populi sui, mortis illud revocavit decretum et ad nos Præsuli, permisit venire, ut verbo et exemplo viam salutis æternæ nobis tutam commostraret.

¡O dies illæ desideratæ valde, quibus hæc nostra sancta Ecclesia ad dilectum suum recipiendum læta sua tempora ornabat! ¡Cum tota hæc civitas ad ejus portas festinabat gressus, ad sui pastoris amantissimi celerandam præsentiam, ut suo amplexu suaque benedictione in viam pacis ingressa, ipsa videretur tranquilla!

¡Me miserum! ¡Quem ad finem hæc amarissima ad memoriam veniunt.....?

Talis autem est humanæ mentis conditio, ut ad memoriam trahere, et in ipsa omne appetat revolvere quod amissi boni dolorem ipsum crescit et auget.

Dies illæ venerunt et nobis ipsis cernentibus licuit exclamare: ¡Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!

In communi vero lætitia singulorum et bonorum expectatione, id unum angebat universos, chari Pastoris vitam, et cum illa gregis felicitatem (ut in simillimis illustris quidam inquietabat orator) celeri letalique ictu finire, priusquam diuturni regiminis ac florentis bona consequeremur. Veruntamen Supremus mortis et vitæ Dominus, præciosam Antonii vitam servavit plusquam nobis erat sperandum.

Duodecim quidem annis (ærumnis plenus) hanc Dioecesim gubernavit; et duodecim annis quoque, in omnium admiratione fuit. Nulla fuit illi requies, levamen nallum ad suorum fidelium procurandam salutem: ad suæ Ecclesiæ regimen stricte servandum, et ad Ecclesiasticam disciplinam suo primitivo custodiendam vigore. Sed dies illæ beatissimæ ac nunquam rediturae transierunt. Jam non in posterum nostri oculi Pastorem, pro suo munere adimplendo, in suæ Dioecesis visitatione videntur. Vox illa, vitiorum objurgatrix, non audietur à nobis. Charitas illa indefessa, et benigna pariter, qua omnes eramus in pace evangelizati, præterit velut umbra, gratissimam tantum sui derelinquens memoriam.

Clamitent nunc increduli, clamitent obdurati, quorum convitia ille constanter redarguit.

Interim, hæc Ecclesia plorat, viduata pasto-

re. Et ipse quoque sacerdos plorat suum patrem amissum, et quoque fideles omnes ululant pariter; hoc est enim tempus ad fletum destinatum in superis, Vos quoque plorate juvenes in Seminario discentes. Patrem amissistis bonum, qui maximo vos dilexit amore.....

Parcite mihi, Domini, parcite mihi. Videbatur mihi hanc Ecclesiam jam in posterum desolatam videre, et Pius non veniebat in mente, qui hanc ipsam creavit Ecclesiam. Pontifex noster maximus, catenis vinctus, adhuc loquitur; ille nostrum lenibit dolorem, et immaculatam hanc servabit Ecclesiam.

¡Sed praeclarum illum Antistitem non vidimus, qui tantis nos bonis cumulavit! Satis illum inter nos adspeximus, ut hodie in coelis fidei oculis aspectemus. Vivens ille inter mortuos, translatus est ad vitam sempiternam. Justus enim fuit, et justus in perpetuum vivent et apud Dominum est merces eorum.

Hoc aliter contigisse, nos certe unquam credere oportet. Vir ille praeclarissimus, fidelis usque ad mortem repertus, potuit Judici Supremo cum Paulo dicere: "Bonum certamen certavi, cursum consumavi, fidem servavi." Ut simplex fidelis, promptam obedientiam praestavit: ut sacerdos et pontifex, nulli secundus existit.

Dignum fuisse arbitramur, consolationis illam audire vocem, coronam justitiae in aeternum concedentem: "Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui."

Nos ita fuisse gloriamur et Deum Patrem misericordiarum deprecamur, ut, in sempiterna pace, feliciter requiescat. Amen.

**ORACION FUNEBRE**  
**DEL ILUSTRISIMO SEÑOR DR. D.**

**J. ANTONIO DE LA PEÑA**

**Y NAVARRO,**

**PRIMER OBISPO DE LA DIOCESIS**  
**DE ZAMORA,**

**PRONUNCIADA**

El día 13 de Octubre de 1877, en la Sta. Iglesia Catedral

POR EL PRESBITERO LIC.

**D. IGNACIO AGUILAR**

Canónigo de la misma Sta. Iglesia.

**ZAMORA:—1877.**

Imprenta de J. M. T. Maldonado.